



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Qvæstio CXVI. Quare Christianis necessaria est Precatio?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

RESP. Primum, ut in omni vita magis magisque agnoscamus, quanta sit naturæ nostræ ad peccandum propensio *a*, tantoque avidius remissionem peccatorum & iustitiam in Christo expectamus. *b* Deinde, ut hoc perpetuo agamus, illud semper meditemur *c*, & gratiam Spiritus Sancti à Patre imploremus *d*, quo indies magis ad imaginem Dei renouemur, donec aliquando tandem, postquam ex hac vita decesserimus, propositam nobis perfectionem læti assequamur *e*.

*a* Rom. 3. 20. Rom. 4. 15. Rom. 5. 13. 20. *b* Rom. 10. 3. 4. *c* Deut. 31. 11. 12. 13. *d* Psal. 19. 4. 5. 33. 34. 35. 36. *e* 1. Cor. 13. 9. 10. 1. Ioh. 3. 2.

## DE PRECATIONE.

### DOMINICA XLV.

#### QVÆSTIO CXVI.

*Quare Christianis necessaria est Precatio?*

RESP. Quia præcipua pars est eius, quam Deus à nobis postulat, gratitudinis *a*. Tum quia illis tantum suam gratiam & Spiritum Sanctum Deus largitur, qui veris gemitibus continenter hæc ab eo petunt, & pro iis ipsi gratias agunt *c*.

*a* Pl. 50. 14. 15. *b* Deut. 4. 29. Mat. 7. 7. Luc. 11. 13. *c* Pl. 50. 23.

#### QVÆSTIO CXVII.

*Quæ ad eam precationem requiruntur, quæ Deo placeat, quæque ab ipso exaudiatur?*

RESP. Ut à solo vero Deo, *mediate* vel *immediate*, qui se in verbo suo patefecit *a*, omnia quæ à se peti iussit *b*, vero cordis affectu petamus; ex intimo nostræ indigentia ac miseræ sensu *d*, nos in conspectu diuinæ maiestatis supplices abiiciamus *e*; huic firmo fundamento *spei* innitiamur, nos à Deo, quanquam indignos, propter Christum tamen certo exaudiri; quem admodum nobis in suo verbo promisit *g*, quantum *saluti* nostræ conduxerit.

*a* Pl. 83. 9. Mat. 4. 10. *b* 1. Ioh. 5. 14. *c* Thren. 3. 41. Pl. 145. 18. *d* Luc. 18. 13. *e* Esra 9. 6. *f* Dan. 9. 17. 18. Eph. 3. 12. *g* Ioh. 14. 13. Ioh. 15. 7. Ioh. 16. 23.

#### QVÆSTIO CXVIII.

*Quæ sunt ea, quæ à se peti iubet?*

RESP. Omnia tum animæ tum corpori necessaria, quæ Dominus noster Iesus Christus eâ precatione, quam nos ipse docuit, complexus est.

#### QVÆSTIO CXIX.

*Quæ est illa Precatio?*

RESP.